ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: GREGORIUS MAGNUS. PS. MARCILIA. PS. BOTO PRUVENINGENSIS
2. Hälfte 12. Jh. Seite 23r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36542
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



per samaritani studium semi uiuus in stabulum ducit & uinum atq; oleum uulneribus eius adhibetur: ut per uinum scilicet mordeant uulnera. per oleum foueantur. Necesse quippe est ut quisquis sanandis uulneribus preest in uino morsum doloris adhibeat. in oleo mollitiem pietatis. Quatinus per uinum mundentur putrida. per oleum sananda foueantur. Miscenda ergo est lenitas cum seueritate. faciendum quoddam ex utroq; temperamentum ut neq; multa asperitate exulcerentur subditi. neq; nimia benignitate soluantur. Quod iuxta uocem pauli bene illa taberna culi arca significat. in qua cum tabulis uirga simul & manna est. Quia cum scripture sacre scientia in boni rectoris pectore si est uirga districtionis. sit & manna dulcedinis. Hinc dauid ait. Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur. baculo sustentamur. Si ergo est districtio uirge que feriat. sit & consolatio baculi que sustentet. sit itaq; amor sed non emolliens. sit uigor sed non exasperans. sit zelus sed non inmoderate seuiens. sit pietas s; non plus quam expediat parcens. Et dum se in arce regiminis iusticia clementiaq; permiscet is qui preest. corda subditorum & terrendo demulceat. & iam ad terroris reuerentiam demulcendo constringat.

Sit rector internorum curam in exteriorum occupa